

Altera Luna suos complebat in ordine Soles,  
 Rex Francique simul castra vetata petunt.  
 Machina densa sonat, pulsantur & undiq; muri,  
 Mars furit, ante cui non fuerat similis.  
 Crebra sagitta cadit, vi funda retorta fatigat:  
 Rex agit illud opus, accelerando Duces.  
 Jam Mauri miseri nec muros scandere celfos  
 Audent, nec turri cernere castra volent.  
 Ac velut in parvo volucrum fors turba natantū,  
 Cūm refidet pavitans flumine fisa malē,  
 Armiger ecce Jovis caelo descendit ab alto,  
 Inventas circum pervolitatque diu.  
 Hæ caput in fundū mittunt, relevantq; sub auras,  
 Ista algis recubat, illa repressa luto.  
 Instat at ille super pennis, tremulasque fatigat:  
 Quæ caput in ventos sublevar, ille rapit.  
 Non aliter Mauros timidos fugitando per urbē  
 Insequitur gladius undique, morsque, pavor.  
 Tum Rex ipse pius crispans hastile lacerto,  
 Inque urbem adversam compulit ire celer.  
 Hasta volans mediâ ventis se contulit urbi  
 Marmore subiecto figitur acta nimis.  
 Hoc signo Mauri turbati corde pavore  
 Mirantur ferrum, plus jacentis opus.  
 Quid facerēt? Jam Rex aberat, jã pugna tepebat;  
 Maurorum primos abstulerat gladius.  
 Tandem jam victi nimium belloque fameque,  
 Consilio unanimi reddere castra volunt.  
 Pãduntur (74) portę, penetralia cuncta patefcunt,  
 Servitio Regis urbs labefacta venit.  
 Protinus optata sternuntur, hæud mora, in urbe  
 Franci victores, hostibus imperitant:  
 Sabbatum erat sacrum, cūm res est ista peracta,  
 Quando prius Francis urbs patefacta fuit.  
 Namq; sequente die festo conscendit in urbem  
 Rex *Hludovicus* ovans solvere vota Deo.  
 Mundavitq; locos, ubi Dæmonis alma colebant,  
 Et Christo grates reddidit ipse pius.  
 Missis, dante Deo, remeat custodibus ædes  
 Ad proprias victor Rex, populisque suos.  
 Ducitur interea ad *Carolū* longo ordine præda  
 Maurorum spoliis, muneribusque ducum,  
 Arma, & loricae, vestes, galeæque comantes,  
 Parthus equus phaleris, aurea fræna simul.  
 Zado (75) tremens nimium, nolensque revifere  
 Francos,  
 Pergit & ipse pigro confociante gradu.  
 Bigo catus properans antevolat agmen, & aulam  
 Primus adeit Caroli, nuntia læta ferens.  
 Fama recens totam commiscuit ocnis aulam,  
 Casarea aures mox penetravit ovans.  
 Bigo vocatus adeit, plantis dat basta celsis,  
 Et sequitur verbis ordine iussa sibi.

- (74) In deditionem Ludovici Pii Barcino venit anno 801. uti concordēs Francorum annales testantur. Pagius vero jamdiu animadvertit, deceptum fuisse Astronomum Auctorem Vitæ Ludovici Pii, dum feru creptam Saracenis urbem scripsit.
- (75) Accipe patia ex Eginhardi annalibus, quæ in ceteris repetuntur: *Zatus Praefectus ejus* (nempe Barcinonis) & alii complures Saraceni comprehensi. *Zatus & Rosbelmus una die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt.*
- (76) Patriarcha Aquilejensis, vir sanctissimus, uti appellatur à Continuatore Pauli Diaconi apud Freherum. In Vit. Patriarchar. Aquilejens., quas edidi Tom. IV. Anecd. Latin. pag. 240. de illo scribitur: *Ad gloriosum Carolum Magnum Imperatorem pro juribus Ecclesiae ampliandis profectus est. Et vir iste mirae sanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit.* De eo legenda etiam, quæ habet Ughellus Tom. V. Ital. Sacr.
- (77) Videlicet Caroli M. filius primogenitus, qui anno 811. ante patrem e vivis creptus est.
- (78) Ita quoque alibi. Apud Virgilium Lib. XI.

A Filius ecce pio transmittit munera patri  
 Augusto Carolo Rex *Hludovicus* enim,  
 Munera, quæ gladio, scuto, proprioque lacerto  
 Extulit à Mauris victor habenda sibi.  
 Regem etiam vobis urbis, quam cepit in armis,  
 Misit, adeit *Zadun* Cæsaris ante oculos.  
 Urbs, quæ Francorum multos populaverat olim  
 Victa jacet bello, Regia iussa petens.  
 Tum Carolus Cæsar placido hæc edidit ore,  
 Ad cælum tendens lumina cum manibus:  
 Gratia celsi throni comitetur maximè prolem  
 Dilectam, maneat gratia nostra sibi.  
 Munere pro tali quas possum solvere grates,  
 Proles digna, Deo pro æmeris propriis?  
 O foboles præclara nimis, quam semper amavi,  
 Corde tenens, retulit quod Patriarcha mihi  
 Paulinus (76) quondam. Fama est, Patriarcha  
 benignus  
 Venerat ad sedes Rege jubente pius.  
 Cūmque die quadam Ecclesia resideret in alma,  
 Attonitus Christo psalleret ille melos,  
 Contigit, ut *Carolus* (77) foboles præclara  
 parenti  
 Oratu Procerum pergeret auctus ope.  
 Iſque aram properans cūm processisset ad illam,  
 Quò facer Antistes munia digna dabat,  
 Paulinus, quis at ille foret, mox flagitat ultro.  
 Intendens famulus reddidit orsa (78) sibi.  
 Ille ut cognovit primam fobolem hunc fore  
 Regis,  
 Conticuit; cœptum ille peragrat iter.  
 Deniq; post spatium *Pippinus* (79) venerat Heros  
 Magnanimūm juvenum cum comitante choro,  
 Paulinus celerans famulum compellat eumdem,  
 Et rogat: ille iterum vera referre parat.  
 Præful ut agnovit nomen, Regiq; (80) recordans,  
 Mox caput inclinans: pergit at ille celer.  
 Ultimus ecce venit *Hludovicus*, & ocibus aram  
 Amplectens supplex sternitur atque solo.  
 Inlachrymansq; diu precibus poscebat Olympi  
 Regnantem Christum, quo sibi ferret opem.  
 Hoc facer (81) aspiciens, fellâ se sustulit ardens  
 Compellare sacrum cum pietate virum.  
 Antea nam Pippin, Caroloque abeunte, fedili  
 Hæserat, & nullis vocibus orsa dabat.  
 Deniq; Rex (82) vatem prostrato corpore adorat,  
 Paulinus Regem fuscipit ecce pium.  
 Hymnica dicta dedit vario sermone referta:  
 Perge, ait, ad Carolum pro pietate. Vale.  
 Cæsaris ut primò vates pervenit ad aurem,  
 Ordine cuncta suo hæc recitavit ei:  
 Si Deus (83) è vestro Francorum femine Regem  
 Ordinat, iste tuis sedibus aptus erit.

Hæc

- Aeneid. occurrit orsa referre, pro verba coepta referre, ut Servius explicat. Inde noster desumit.
- (79) Secundus Caroli M. filius Italiae Rex, quem anno 810. immatura mors sustulit.
- (80) Potius *Regemque*. Scilicet recordatus, eum esse Italiae Regem, mox ei caput aperuit.
- (81) Pro Sacerdos. Eadem voce multis aliis in locis utitur Poeta noster.
- (82) Idem *Ludovicus. Vatem*, hoc est Patriarcham.
- (83) Varietium istud de Ludovici Pii post Caroli Magni parentis sui mortem successione ad Imperium, Alcuino Abbati celeberrimo tribuit Auctor ejus Vitæ fere aequalis, Cap. X. part. I. pag. 156. Seculo IV. Benedictini. Interrogatus enim sanctus Abbas a Carolo, quem successiorem ipse in Imperio esset habiturus, respondit: *Habebis Ludovicum humilem, successiorem eximium.* Tum ad adfidentes conversus ait: *Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorē? certe videlicet hunc patri celsissimum successiorem.* Utri ex hisce Scriptoris potius adhibenda sit fides, aliorum esto iudicium. Fortassis utrique.